



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

Gomez, Cristobal

Antverpiæ, 1681

S. Thomas Apostolus n. 3

urn:nbn:de:hbz:466:1-38486

aureæ exhibebant. Quod augustissimo IESV Nomini datum, adolescens sic interpretatus est, ut qui aureis designaretur literis, eum sibi optimum, suisque accommodatissimum rationibus crederet. Ita in Imag. 1. sec. Soc. lib. 2. cap. 9. fol. 236.

3. A S. THOMA Apostolo Societatem in vastissimis hisce Paraquaria nostra Regionibus similiter prenuntiante. Tantam ubique inter barbaros incolas memoriam, vestigiaque sanctissimi Apostoli Thomæ inuenere Socij, ut dubitari non possit eum isthic olim fuisse. Sed nihil Christianæ Religionis in hisce regionibus durauerat præter famam eius, & vaticinationis ab eo prolata memoriam. Prædixerat iam tunc, Post multa sæcula Sacerdotes sibi in Apostolico munere aliquando successuros, qui eadem, quæ tum ipse, posteris docerent, quique ut ipse Cruces manu gestarent. Visa in manibus Nostrorum Crux, quam horum ignari pro scipione gestabant, & subsequuta Euangelij explicatio, barbaris fidem fecit Nostros esse eos, quos Apostolus olim venturos promiserat. Sic Ibidem lib. 1. c. 2. f. 63.

Societas ab Apost. Thomæ in Paraquaria, prædicta.

AB EODEM: Cum illis in regionibus Occidentalibus quasi anti-quæ tanti Apostoli Thomæ vestigia lustraret ac subsequeretur Xauerius noster sanctissimus, fidem primoribus sæculis ab eo fundatam instaurauit, impleuitque illius antiquum Oraculum, quo præcinerat, ventura ea tempora, cum Oceanus paulatim erolis, laxatiffique littoribus Crucem quamdam ibi à se statutam, fluctuum appulsu inceptaret alluere, tuncque ab extremis Europæ finibus in Indiam mari aduehendos diuini verbi præcones, qui sibi in officio, studiisque succederent. Et quidem vtriusque euentus coniunctio fidem oraculi affirmavit. Simul ad Crucem vnde littorales, simul Crucis prædicatores Nostri ad Indicum littus accessere. Ita in Panegyrica Epitome Xauerij, Insulis typis edita ann. 1649. fol. mihi 33.

Et in Orientali India.

4. A S. FELICE Nolanorum Patrono. Ea ipsa nocte, qua Nostri magna gratulatione excepti Nola Patres, manna è Corpore S. Felicis manavit: quod persuasum est ciuibus, ubi manat, felicitatem portendere: obseruata res est, & tanquam vetus Patronus nos hospi-tes letus, ac fauens exciperet, cumulauit gratulationem,

Et à s. Felice, ebulliente manna Nola excepta.